tione, D. Timotheus Camontius diligentiſſimè conficit, qui in ſua juventa mirificos ingenij fructus pollicetur, ſi longiorem ei vitam Deus præſtiterit.

Qva ratione vipe-ræ caro omnes morbos venenatos curet; & primum eos ab intemperie.

Cap. XX.

Hac una ratione partes noſtrũ corpus conſtituentes, vel ſimilares eſſe probabimus, quarum actio quoque erit ſimiliaris, & quando lęditur, morbus pariter vocatur ſimilaris; vel partes omninò diſſimilares eſſe, aut inſtrumentarias, ex quarum actionibus læſis, morbi fiunt, & demonſtrantur inſtrumentarij; ſed ſi ex utriuſq; ſimul iunctis actio læderetur, tertium morborum genus mixtum oriretur, & continui ſolutio vocabitur. Cum igitur neq; plures, neq; pauciores in humano corpore vigeant actiones, neceſſario ſequitur, nullũ aliud morbi genus advenire poſſe. In aliquo itaq; genere horum trium, vel in his ipſis reponendi ſunt venenati morbi; Sed quidẽ perpetuũ eſſe, in venenis omnibus, ut cor petant,